



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXVII. Quòd priuatus amor, à summo bono maximè retardat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XXVII.

*Quòd priuatus amor, à summo bono,  
maximè retardat.*

**F**ILI, oportet te dare totum pro toto, & nihil tuiipfius esse. Scito, quòd amor tuiipfius, magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi. Secundùm amorem & affectum, quem geris, quælibet res plus vel minùs adhæret. Si fuerit amor tuus purus, simplex, & benè ordinatus, eris sine captiuitate rerum. Noli concupiscere, quod non licet habere. Noli habere, quod te potest impedire, & libertate interiori priuare. Mirum, quòd non ex toto fundo cordis, te ipsum mihi committis, cum omnibus quæ desiderare potes vel habere.

*Exodi* 2 Quare vano mœrore consume-  
*8. &* ris? Cur superfluis curis fatigaris?  
*Mich. 4* Sta ad beneplacitum meum, & nul-  
lum patieris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, & proprium beneplacitum magis habendum: numquam eris in quietudine,

dine, nec liber à sollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit qui aduersetur.

3 Iuuat igitur, non quælibet res adepta, vel multiplicata exteriùs: sed potiùs contempta, & decisa ex corde radicitus. Quòd non tantùm de censu æris & diuitiarum intelligas, sed de honoris etiam ambitu, ac vanæ laudationis desiderio, quæ omnia transeunt cum mundo. Munit parum locus, si deest spiritus feruoris: nec diu stabit *Isa. 41.* pax illa quæ sita forinsecus, si vacat à vero fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me; permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta & accepta, inuenies quod fugisti, & amplius.

*Oratio pro purgatione cordis, & celesti sapientia.*

4 **C**ONFIRMA me Deus, per gratiam sancti Spiritus. Da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili sollicitudine & angore euacuare, nec variis desideriis trahi cuiuscumque rei

*Psal. 50.*  
*Eph. 3.*  
*Matt. 6*

**Eccle. 1.**  
**2.** rei vilis aut pretiosæ: sed omnia inspi-  
 cere sicut transeuntia, & me pariter  
 cum illis transiturum: quia nihil per-  
 manens sub sole, vbi omnia vanitas, &  
 afflictio spiritus. O quàm sapiens,  
 qui ita considerat!

**Sap. 9.** 5 Da mihi Domine cælestem sa-  
 pientiam, vt discam te super omnia  
 quærere & inuenire, super omnia sa-  
 pere & diligere: & cetera, secundùm  
 ordinem sapientiæ tuæ, prout sunt, in-  
**Eph. 4.** telligere. Da prudèter declinare blan-  
 dientem, & patienter ferre aduersan-  
 tem: quia hæc magna sapientia, non  
 moueri omni vento verborum, nec  
 aurem malè blandienti præbere Sire-  
 næ: sic enim incepta pergitur via se-  
 curè.

## C A P. XXVIII.

*Contra linguas obtreñtorum.*

**I Cor. 4.** **F**ILI, non agrè feras, si quidam  
 de te malè senserint: & dixerint,  
 quod non libenter audias. Tu deterio-  
 ra de teipso sentire debes, & neminem  
 infirmiozem te credere. Si ambulas ab  
 intra, non multùm ponderabis vo-  
 lantia